Nr. præs. 50.

XII.

NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus

Tarnoviensis

Commendator Ordinis C. R. Austriaci Francisci Josephi &c. &c.

universo Vener. Clero salutem et benedictionem!

Novissimis temporibus communicatae sunt Nobis leges politicae, attinentes personas christianas, quas Judaei variorum servitiorum causa in suas domos suscipiunt, et quidem: Altum Decretum C. R. negotiorum internorum Ministerii de 20 Novembris 1859 N. 11896. notificans tenorem altissimae Suae C. R. Apostolicae Majestatis resolutionis de 13 Novembris 1859, qua obrogatur hucusque vigens vetitum politicum, ne personae christianae, in famulos, ancillas, nutrices, sodales aut tyrones opificiorum a Judaeis suscipiantur; verumtamen severe et sub poenis injungendis praecipitur, et inculcatur, ut Judaei has personas earumque proles, in domibus Judaeorum pariter morantes ad frequentationem cultus divini diebus dominicis et festivis, nec non ad frequentationem institutionis religiosae pomeridianae diebus dominicis et festivis impellant. Harum legum tenore cessavit ex parte potestatis civilis auxilium, quo leges ecclesiasticae assiduam conversationem et familiaritatem Christianorum cum Judaeis interdicentes, muniebantur.

Nolumus diffiteri Venerabiles Fratres! quam difficile et arduum Vobis, onus et opus incumbat, in hocce negotio munus pastorale ita adimplendi, ut et sacrorum canonum integritas, animarum fidelium fides intemerata et salus incolumis; verum etiam legis civilis memoratae auctoritas custodiatur, atque utrumque sine detrimento spirituali populi christiani concilietur.

Neque enim aliquem latere potest, quantum Judaeorum religio et mores, praecipue in hacce provincia a nostris differunt. Quamobrem jam antiquitus Summi Pontifices Romani contubernium Christianorum cum Judaeis interdicebant hortabanturque, ne Christiani apud Judaeos perpetuum servitium et famulatum exerceant „Cum sit nimis absurdum, ut blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat" [1].) Summus Pontifex Alexander III. ita statuit: „Ad haec omnibus Christianis, qui sunt in jurisdictione vestra, penitus interdicatis, et si necesse fuerit, discretione ecclesiastica compellatis eosdem, ne Judaeorum servitio se assidue pro aliqua mercede exponant, quod etiam obstetricibus et nutricibus eorum prohibere curetis: ne infantes Jadaeorum in eorum domibus nutrire praesumant, quoniam Judaeorum mores et nostri in nullo concordant, et ipsi de facili ob continuam conversationem et assiduam familiaritatem ad suam superstitionem et perfidiam simplicium animas inclinarent" [2]). Innocentius III. porro ita praecipit Archiepiscopo Senonensi et Episcopo Parisiensi anno 1212. „Etsi Judaeos (quos propria culpa submisit perpetuae servituti) pietas christiana receptet, et sustineat cohabitationem illorum: ingrati tamen nobis esse non debent, ut reddant Christianis pro gratia contumeliam, et de familiaritate contemtum, qui tamquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam (juxta vulgare proverbium) mus in pera, serpens in gremio et ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere. Accepimus autem, quod Judaei faciunt Christianos filiorum suorum nutrices (quod non tantum dicere sed nefandum est cogitare), cum in die Resurrectionis Dominicae illas recipere Corpus et Sanguinem Jesu Christi contigit, per triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam. Alia insuper contra fidem catholicam detestabilia et inaudita committunt, propter quae fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant: cum eas perpetrare patiuntur indigne, quae fidei nostrae confusionem inducunt. Inhibemus igitur districte, ne decetero nutrices vel servientes habeant Christianos, ne filii liberae filiis famulentur ancillae, sed tamquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, et illos servos effecit. Si vero nutrices et servientes non dimiserint Christianos, sub excommunicationis poena inhibeatis districte omnibus Christianis, ne cum iis commercium aliquod audeant exercere" [3]). Has et similes alias leges Corp. J. C. in Decretalibus Gregorii IX. eodem titulo de Judaeis et Saracenis contentas comprobat, imo ad easdem provocat Benedictus XIV. in sua Epistola encyclica ad Primatem, Archiep. et Episcopos regni Poloniae ex arce Gandulphi die 14 Juni 1751 [4])

---

[1]) Innoc. III. c. 16. de Jud. et Sarac. V. 6.

[2]) c. 8. de Jud. et Sarac. V. 6.

[3]) c. XIII. de Jud. et Sarac. V. 6.

[4]) Bullarium Benedicti XIV. Edit. Venet. a. 1768. p. 175 et sq Tom. III.

revocatque ibidem in memoriam ejusdem tenoris leges a Romanis Pontificibus Nicolao IV. Paulo IV. Pio V. Gregorio XIII. et Clemente VIII. editas, nec non ad Synodos a Poloniae Episcopis celebratas, quarum constitutionibus leges hae insertae exstiterant, atque praelaudatos Episcopos ita alloquitur. „Vos autem Venerabiles fratres ut eadem illa (i. e. praecepta) clarissime perspiciatis ne ipsam quidem lectionis curam suscipere opus habetis. Omnia in Decessorum vestrorum Synodis statuta, atque praescriptav obis occurunt; cum ipsi quidem minime praetermiserint, in suis constitutionibus ea omnia inserere, quae quod ad praesentem materiam attinet, a Romanis Pontificibus sancita atque ordinata fuerunt.“ [5]) Ipse Summus Pontifex porro fere lacrimans, vividis coloribus tristem desolationem depingit, quae ex ejusmodi Judaeorum cum Christianis commercio in populum Christianum, ejus civitates et oppida etc. redundat. „Merito est quod conqueri debeamus: adeo ut vel cum fletu illud exclamare cogamur: Mutatus est color optimus!.... notum nobis factum est adeo isthic Judaeorum numerum multiplicatum esse, ut aliquot loca, civitates, oppida, quae ut ex ruinis constat, muro ante probe circummunita erant, quaeque.... magno incolarum Christianorum numero frequentata fuerant, diruta modo, situ et squallore foeda, ac magno quidem Judaeorum numero referta, Christianorum autem quasi plane destituta reperiantur“. [6]) Et quid demum dicamus de illa desolatione spirituali, quam assidua familiaritas et contubernium cum Judaeis in animis Christianorum causant! Cessante quippe exemplo et incitatione ad religionis Christianae exercitium, prouti id in domo christiana praesumitur; extinguitur in sinu ejusmodi hominum rudiorum et simplicium, fervor fidei; e contrario continuus aspectus rituum Judaicorum parit indifferentismum, imo etiam perfidiam erga Christum. Facile enim animos incultorum ex ejusmodi conversatione occupare potest, praejudicium hodiedum sat divulgatum: in qualibet religione salutem aeternam inveniri posse. Suffocato vero fidei ardore, evellitur necessario christiana teneritas conscientiae, timor Dei et peccati, quo denique fit, ut homines rudes his destituti virtutibus, pravarum cupiditatum frenum dejiciant, et ad quodvis scelus patrandum proni evadant.

His motivis innituntur leges ecclesiasticae supra memoratae et vetitum Christianis, apud Judaeos famulitium vel servitium suscipiendi. Leges hae nunquam abrogatae fuere sed imo in pleno perseverant vigore. Neque etiam leges civiles eas auferre, aut iisdem contradicere intendunt, sed tantum executionem civilem, qua antea fruebantur, iisdem in posterum denegant. Quapropter nemo opinetur, legibus politicis supra allatis contra leges has Ecclesiae praejudicium generari.

Quum autem nemo vestrum ignoret, quantum sit pretium cujusvis animae Sanguine Jesu Christi redemptae, et quam gravis obligatio cuique sacerdoti incumbat, animas sibi concreditas ad exemplum Summi Pastoris Jesu Christi ita pascendi, ut iisdem omnem alimoniam spiritualem suppeditet, sed etiam quodvis perriculum seductionis a recta fide et tramite justitiae ab iisdem abigere conetur, de qua villicatione coram Deo rationem est redditurus; Vestri

---

[5]) cit. Epist. §. 6.

[6]) ibid. §. 2.

officii erit tanto majori cum zelo nunc adlaborare, ut fidem et mores omnium animarum Vobis concreditarum integros servetis ac custodiatis, quem in finem sequens norma agendi Vobis inserviat:

I. Sacerdotes non intermittant, quoties speciales circumstantiae id poposcerint, populum Christianum sive singillatim et private, sive e sacro suggestu edocere, pristinum vetitum Ecclesiae supra allatum hodiedum obligare, et personis christianis sub gravi peccato prohiberi, apud Judaeos servitio stabilli, sive simplicis famulitii, sive nutricis, sive tyrocinii aut opificii se mancipare. Non minori cum zelo tales admonitiones convertant ad parentes, tutores vel curatores, qui suas proles aut pupillos ejusmodi servitiis apud Judaeos tradere non verentur; iisque ob oculos ponant gravia pericula tum fidei tum christianae virtutis, quibus personas has, juvenili in aetate versantes exponunt, cujus rei coram Deo rationem sunt reddituri.

II. Sacerdotes diluant falsam nonnullorun opinionem, acsi leges politicae recentes legibus ecclesiasticis contradicant, aut vim earundem auferant; quum legibus his politicis nil contra canones Ecclesiae statuatur, neque ibidem dicta servitia in foro Ecclesiae licita esse declarentur; sed tantum simpliciter vis coërcitiva, cujus auxilio hucusque vetitum ecclesiasticum muniebatur, in posterum adhibenda tollitur.

III. Quodsi vero adhibitis his omnibus admonitionibus et obsecrationibus posthabitis, quidam Christianorum apud Judaeos memoratis servitiis se mancipare praesumerent, id saltem Curatores animarum solerter adimplere satagant, ut ejusmodi servi, nutrices, tyrones aut sodales opificiorum, nec non eorundem proles, praecipue si cum iisdem in domibus judaeorum morati fuerint, officia divina nunquam negligant, imo minorennes institutioni religiosae seu catechisationi horis pomeridianis diebus dominicis et festivis accurate intersint, quod etiam alto Decreto Ministeriali supra citato est injunctum. Quare obversante fors renitentia, contra pervicaces implorandum erit auxilium ab instantia locali, aut inmediate a c. r. Officio districtuali. Hunc in finem quilibet parochus *consignationem* seu catalogum de nomine et cognomine Christianorum apud Judaeos in sua parochia stabili servitio detentorum, adjecto nomine et cognomine Judaei, apud quem inserviunt, conficiat, et vigili oculo eorum mores et vitae rationem custodiat.

IV. Dum autem Curatores animarum hanc partem sollicitudinis et muneris sui sunt explicaturi, nunquam non memores sint, se in regno Christi dilatando versari, quod caritati ceu principali fundamento est superstructum, ita quidem ut et hos, qui nobiscum aliter credunt, et tantopere a nobis dissentiunt, potius ejusdem caritatis, quam timoris et vindictae vi flectere satagamus. Nemo etiam inficiabitur, circumstantias temporum hodiedum mutatas esse, et dari alioquin etiam Judaeos cultiores fidei et moribus Christianorum non infensos. Quapropter summa cautio et prudentia pastoralis in hocce negotio erit impendenda, ut omnis suspicio persecutionis aut vindictae studii evitetur omnisque absit talis agendi ratio, quae populo Christiano ad immodicum et furentem zelum contra Judaeos ansam et fomitem praeberet, quod et menti Ecclesiae ac Summorum Pontificum praeceptis adversaretur. „Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae“ ait Christus. (Math. 10. 16.) Benedictus XIV. vituperat persecutionem Judaeorum et in citata epistola encyclica §. 4. refert de Radulpho celebri

Monacho, qui s. XII Judaeos persequebatur.„ Celebris ille Monachus Radulphus, immodico olim ductus zelo, adeo contra Judaeos exarsit, ut saeculo XII. quo vixit, Galliam Germaniamque percurrerit, et contra eosdem Judaeos, utpote Sanctae Religionis nostrae hostes, concionando Christianos inflammaverit, ut ipsos ad internecionem delerent; quae causa fuit, ut tam magnus Judaeorum numerus interficeretur. Nimio huic et furenti Radulphi zelo magnus ille S. Bernardus sese opposuit, atque in Epistola sua 363 quam ad clerum et populum Galliae orientalis dedit, ita scriptum reliquit: Non sunt persequendi Judaei, non sunt trucidandi, sed nec effugandi quidem. Interrogate eos divinas paginas. Novi quid in psalmo legitur prophetatum de Judaeis: Deus ostendit mihi, inquit Ecclesia, super inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Vivi quidem apices nobis sunt repraesentantes Dominicam passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes regiones, ut dum justas tanti facinoris poenas luunt, testes sint nostrae redemtionis.“

Notum vobis est, in quibusdam Moraviae regionibus inter Christianos et Judaeos turbas et tumultus recenter jam exortos fuisse, quod a nobis longe absit. Audite hunc in finem verba S. Bernardi. (Epist. 365 ad Henricum Archiepiscopum Moguntinum [7]) „Nonne copiosius triumphat Ecclesia de Judaeis per singulos dies, vel convincens vel convertens eos, quam si semel et simul consummeret eos in ore gladii? Nunquid incassum constituta est illa universalis Oratio Ecclesiae, quae offertur pro perfidis Judaeis, a solis ortu usque ad occasum, ut Deus et Dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis a suis tenebris eruantur? Nisi enim eos qui increduli sunt, credituros speraret, superfluum et vanum videretur orare pro eis.“

V. Ad praecavendum igitur variis difficultatibus et collisionibus, quoad personas christianas, quae jam servitio apud Judaeos detentae sunt, et pacto aliquo seu contractu coram foro civili ligantur, ita est procedendum, ut si animum mutaverint, et apud Judaeos amplius deservire detestati fuerint; non absolute domus Judaeorum deserant sed secundum leges civiles de servitiis editas aut tempus servitiis adimpleant, aut ex causa legitima statuto spatio temporis, ulteriori servitio denuncient.

VI. Denique summo cum animi moerore percepimus, quosdam Christianos prava cupidine adeo abripi, ut et commixtionem carnalem cum Judaeis non vereantur, quo nefando commercio, non tantum contrahitur gravis reatus fornicationis, aut respective adulterii, sed etiam prostituuntur membra Christi. Docet S. Paulus (I. Cor. VI. v. 19.) „An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?“ et (v. 15 et 16 ibid.) „Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur“? — Quavis fornicatione aut adulterio luxuriosus peccator injuriam infert corpori suo, templo Spiritus Sancti et mortalis culpae reus evadit. „Nollite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt.“ I. Cor. (VI. v. 9 et 10) Et quid demum dicendum erit de iis, qui membra Christi commercio turpi cum incredulis et Judæis coinquinant?

---

[7]) in Epist. encycl. Bened. XIV. cit §. 4.

Quapropter declaramus abhinc commixtionem carnalem cum Judaeis, ad casus reservatos, prouti prius erat, pertinere, ita ut ab hoc adeo turpi peccato nonnisi ii sacerdotes absolvere queant, qui facultatem absolvendi a casibus Nobis reservatis obtinuerunt, et in posterum obtinebunt. Si autem vobis contigerit ejusmodi praevaricantes in confessionali absolvere, eos super gravitate et turpitudine sceleris commissi instruite, poenitentiamque gravem salutarem, pro ratione circumstantiarum etiam diuturnam imponite. Gratia Dei sit cum omnibus Vobis Amen.

A Praes Eppali Tarnoviae die 1. Junii 1860.

In adnexo ⁄. communicatur Venerabili Clero dispositio alti C. R. Regiminis provincialis Cracoviensis de 4. Febr. 1860. N. 38573. eandem materiam attinens.

Das hohe k. k. Ministerium für Kultus und Unterricht hat mit dem Erlasse vom 23. Dezember 1859 Z. 18796 anher mitgetheilt, daß zufolge A. h. Entschließung vom 13. November 1859 in jenen Ländern, wo das Verboth des Haltens christlicher Dienstbothen, Ammen, Gesellen, und Lehrjungen von Seite der Israeliten noch besteht, dasselbe nicht weiter mehr zu handhaben ist, jedoch die israelitischen Dienstherrn und Meister bei sonstiger Ahndung und Strafe verpflichtet bleiben, die minderjährigen christlichen Dienstbothen und Ammen und deren in ihrer Haushaltung etwa lebenden Kinder, so wie die christlichen Lehrjungen und die bei ihnen wohnenden christlichen Gesellen zum Behufe des Gottesdienstes und beziehungsweise des nachmitägigen Wiederholungsunterrichtes an Sonn- und Feiertagen anzuhalten.

Hievon wird das Hochwürdige bisch. Konsistorium mit dem Bemerken in die Kenntniß gesetzt, daß von dieser A. h. Entschließung die hierseitigen politischen Aemter bereits mit dem hierortigen Erlasse vom 29. November 1859 Zl. 34554 verständigt worden sind.

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

N. 1232.

Occupationes spirituales sub Installatione aut Primitiis &c.

Neo-Parochi ad solennitatem Installationis; et rursus neo- Presbyteri ad primam Missam invitant Presbyteros nonnullos et ad actum solennissimum expetunt sibi prædicatorem verbi Dei celebrem. Conveniunt civiles et ecclesiasticae Personae... introducunt e domo plebanali aut parentali ad templum solenniter... postmodum Presbyteri selecti accingunt se ad assistentiam, sed quid consilii pro reliquis? Si fideles ad confessionem congregati fuerint, properabunt sane ad confessionalia; sed si defuerint? si tentatio mentes subierit remanendi in Sacristia pro confabulatione aut quod longe deterius foret, remeandi in domum plebanalem, ibiq confabulandi delectandiq. quibusdam sub Missa et concione, quae plerumq. agit de sublimi status Clericalis dignitate, de officiis ejus aut in specie de obligationibus neo introducti Curati? Tentatione praevaleat, an potius obligatio ... obligatio non tantum populo fideli in devotione praelucendi et horas canonicas, Psalmos poenitentiales, preces *commendationis animae* consodalibus pro *felice morte* impositas, aliasq persolvendi, item mediante concione sublimitatem status clericalis gravitatemq susceptorum aut suscipiendorum officiorum in memoriam revocandi et casu laesae ejus dignitatis. officiorumq neglectus, sub eadem Missa poenitendi, Deo se reconciliandi... verum quoq. obligatio Neo- Parochum, aut neo- Presbyterum sub cultu divino qua sponsum circumdandi, eum ob gravitatem muneris novi suffragiis juvandi.?!. nam hospites spirituales non ad *mensam*, aut *recreationem* unice invitantur, sed præprimis ad juvamen spirituale, aut fidelium, aut celebrantium &c. Si nobiles, si cultiores civiles sub integro cultus divini tempore prope altare devotioni intersunt et actum solennem quasi cohonestant; quantam famae jacturam pateretur Clerus, si aut in domo plebanali aut in Sacristia interea tempus confabulatione consummeret, et adhuc alios in devotione aut occupatione domestica impediret!

Quid quid agis, prudenter age et respice finem. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. SS. LL.

Tarnoviae 27. Jun. 1860.

N. 1783. 1803. 1808. 1811. 1812. 1867. 1980. 1981. 1992. 2014. 2089.

Ulterior de collectionibus pro Missionibus &c. continuatio publicatur.

I. E Decanatu *Tarnov.* pro Missionibus ad Sepulcrum D. N. J. C. Jerosolymis 7. in America 6. in Africa 7. in China pro Cons. s. Infantiae Jesu 9. in regno Osmanico 8 fl. 50 xr. S. Bonifacii 8 fl. simul 45 fl. 50 kr. V. A. et quidem ex 11. parochiis: e *Tuchov.* 16 fl. e *Ryglic.* 15 fl. e *Jodłov.* 3 fl. e *Jurkov. Poręb. et Wierzchosłav.* per 2 fl. e *Gromnik, Siemiechów. Pleśnaen.* et *Zbylt. gor.* per 1 fl. e *Piotrkowic.* 1 fl. 50 kr.

II. E Decan. *Dąbrov.* a Perill. Alex. de Lgota Lgocki Curato Otvin. 1 fl. V. A.

III. E Dec. *Dobczyc.* pro Miss. in Africa 14 fl. in America 14 fl. in Terra Sancta et Consot. immacul. Concept. 21 fl. et S. Bonifacii 7 fl, 40 xr. V. A. nimirum pro 4 prioribus e Dziekanowice, *Tarnava*, *Wiśniowa* et *Gruszów* infra 1 fl. et e *Raciechowice*, *Trzemeśnia*, *Łapanów*, *Droginia* et *Zakliczyn*, per 1 fl. et ultra, ast e Siepraw per 3—6

fl. V. A. item e *Dobczyce* ab 1—3; pro Cons. S. Bonifacii e *Droginia* 1 fl. e *Siepraw* 2 fl. 21 xr. e reliquis ultra 30—50 xr. V. A.

IV. E Dec. *Oświęcim* 154 fl. 46 1/2 xr. V. A. et quidem pro *Africa* 14 fl. 46 1/2 xr. pro America 30 fl. *Hierusalem* 40 fl. pro Oriente Osmanico 30. pro Infantia Jesu 40 fl. ad quas summulas contulere: *Gierałtowice* et *Witkowice* per 2 fl. et ultra, *Czaniec*, *Grojec*, et *Osiek* per 4 fl. &c. *Zator* 5 fl. 30 xr. *Kenty* 7 fl. *Bielany* et Poręba per 9 fl. *Piotrowice*, *Przeciszów* et Włosienica per 10 fl. &c. *Głębowice* 11 fl. 26 xr. *Nidek* 12 fl. 40 xr. *Oświęcim* 22 fl. 23 xr. demum *Polanka* 25 fl. V. A.

V. E Dec. *Scav.* pro Africana 7 fl. et pro Terra Sancta 7 fl. item 1 fl. V. A. pro Kuty a Ven. Parocho *Radziszov.*

VI. A Ven. Directione Puellarum Vetero-Sandec. 13 Rh. V. A. pro s. Infantia Jesu.

VII. E Dec. *Bobov.* pro Croatis 2. fl. 50 xr. V. A.

VIII. E Dec. *Boch.* 9 fl. 63 xr. V. A. pro Croatis a P. T. Curatis in *Łapczyca*, *Mikluszowice*, *Rzezawa*, *Neo-Wiśnicz*, *Rzegocina* et *Trzciana* per 1 fl. ab AR. vero Curatis: *Królov.* per 1 fl. 20 xr. et *Chełm.* per 1 fl. 43 xr. demum a Ro. Przybyło Coop. in Rzezawa 1 fl. V. A.

VII. E Dec. *Żywiec.* 107 fl. 50 xr. V. A. nimirum a) pro Missionibus ad Sepulchrum Jerosol. 34 fl. 8 xr. b) pro Miss. in America 26 fl. 33 xr. c) pro Africanis 26 fl. 43 xr. d) pro Infantia Jesu 13 fl. 4 xr. et in specie pro 4 illis *Cięcina* 7 fl. 80 xr. *Koszarawa* 1 fl. 30 xr. *Milówka* 4 fl. *Rajcza* 10 fl. 30 xr. *Rychwałd* 8 fl. 62 xr. *Ślemień* 17 fl. 80 xr. *Szczyrk* 7 fl. 10 xr. *Żywiec* 7 fl. pro prioribus 3. *Jeleśnia* 10 fl. 50 xr. *Łodygowice* 15 fl. *Wilkowice* 6 fl. 15 xr. *Lipowa* pro Jerosolymis 5 fl. 84 xr. dein pro Consot. S. Bonifacii ab AR. *Sekera* Curato in Jeleśnia; 4 fl. pro Sodalitate S. Severini ab AR. *Antałkiewicz* Par. in Ślemień 3 fl. 50 xr. *Radziechowy* nihil.

VIII. E Dec. *Wielic.* 23 fl. 17 xr. V. A. pro Missionibus in *America*, *Africa* et *Asia;* videlicet e Podgorze 12 fl. a V. V. Curatis in Niepoł. 2 fl. Gdów 1 fl. 25 xr. *Zabierzow* 1 fl. a reliquis resp. Curatis et Cooper. pr 90. 50. ₀0 xr. &c. &c. V. A.

His cunctis Benefactoribus gratiarum actio, benedictio divina his in terris et remuneratio aeviterna. Tarnoviae 25. Jun. 1860.

N. 2064.

Exploratio Sophiae Woźniak erga 10 fl. V. A. commendatur.

Sophia nata Kubik consors Joannis *Woźniak* e *Palczowice* Circuli Wadowic. ante 5. annos disparuit. Aut alicubi vagatur, aut fatis cessit. Maritus auxiliatrice pro oeconomia &c. indigus implorat opem Nostram ac Ven. Cleri offerendo 10 Rh. V. A. pro exploratione ejus. Ven. Clerus praeprimis Circuli Wadowic. hisce provocatur, quatenus ipsam inter vivos ac mortuos explorare horsumq de explorata intra brevissimum temporis spatium referre haud gravetur. Tarnoviæ 25. Juni 1860.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae. die 27. Junii 1860.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.